



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ
Provinciæ Saxoniæ S. Crucis**

Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz

Nevhsii, 1706

VD18 10502327

Titulus XVI. De his quæ clara voce aut secrere dicenda in Missa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

*Ad Titulos XIV. et XV. nihil singulariter
notandum.*

TITULUS XVI.

*De his quæ clara voce aut secretè dicenda in
Missâ.*

N. 2. **S**acerdos maximè curare debet, ut ea, quæ clara voce dicenda sunt, distinctè & appositè proferat, non admodum festinanter, ut advertere possit quæ legit, nec nimis morosè ut Audientes radio afficiat, nèque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios, qui fortasse in eadem Ecclesia tunc temporis celebrant, neque tam submissa ut à Circumstantibus audiri non possit, sed mediocri & gravi, quæ & devotionem moveat, & Audientibus ita sit accomodata, ut quæ leguntur intelligant. Quæ verò secretè dicenda sunt, ita pronuntiet, ut ipsemet se audiat & à Circumstantibus non audiatur. Non eget commentario, sed monitione 1. quod Canon sine gravi peccato juxta Doctores communiter non possit altè legi. 2. Non admodum festinanter, nec nimis morosè, ut circiter mediam horam expleat, nec eam notabiliter excedat. Si quis ita festinanter legeret, ut intra quadrantem horæ, saltem extra necessitatem Sacrum absolveret. Eum graves Auctores mortalis delicti reum faciunt.

N. 3. *Alia quæ in Missâ privata dicuntur clara voce, in Missâ solemnî à Celebrante dicuntur submissa voce.* Sic in Missâ solemnî submissa voce debet legere Introitum, Kyrieleison, &c. inspicere Rubricam. Idem habetur Parte 2da Rubricarum Tit. 6. n. 4. *Quam (Epistolam) etiam Celebrans interim submissa voce legit.* Quod notandum, ne Celebrans alioquin, vel alios cantantes turbet, aut saltem ingratam causet dissonantiam. Ita ergo legat, ut à Ministris proximè adstantibus, non verò ab aliis audiatur.

TITU-